



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLXX. De Depraedatione terrae Dobrinensis & occisii LXX.
Lethovinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Gottfridus C. de Hohenlock XI. Mag. Gen. Ord. Teut.

Ludovicus de Schippen XI. Mag. Prov. in Prusia.

CAP. CCLXVIII.

*De**LXX. Lethowiniis occisis in Nata-*
tangia.

Hujus Magistri tempore, anno scilicet Domini MCCCLXXV. Lethovinorum in autumno territorium Glottoviae Warmiensis diœcesis improvisè intrantes, unam villam incendio destruxerunt occidentes & rapientes, quicquid in ea vivum repererunt. Quo intellecto, frater Waltherus Goldoni socius, Commendatoris de Brandenburg cum quibusdam armigeris secutus, occupavit viam quam transire debebant, præter quam via alia, propter aquarum inundantiam, non restabat, & consurgens adversum eos, præter tres omnes trucidavit.

CAP. CCLXIX.

*De**Vastatione territorii Caſtri Ott-*
kaim.

Eodem anno frater Henricus de Dobin & quidam fratres cum ECC. viris intraverunt territorium Caſtri Ottkaim & combustis sex villis, captis & occisis hominibus, recesserunt. Lethovini insequentes ipsos ſæpius hostiliter invaserunt, ita quod utriusque partis plures fuerunt graviter vulnerati.

CAP. CCLXX

*De**Deprædatione terræ Dobrinensis &*
occisi LXX. Lethovinorum.

Xx

Hoc



*Gottfridus C. de Hohenlob XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Helvicus de Goldbach. XV. Mag. Prov. in Prussia.*

Hoc anno Wenceslaus Rex Bohemiæ fuit in regnum Polo-niæ coronatus. Et sex millia Lethovvinorum Ducatum, Dobrinensem depopulaverunt, occidendo, capiendo, & quod igni aptum fuit comburendo, & omnia equibia & alia quæ Poloni propter metum Regis prædicti ad dictum Ducatum duxerant, deferebant. De hoc exercitu centum viri præelecti & præsumptuosi fuerunt ausi transire fluvium Drivvance & in terra Colmensi duas villas deprædare, quos fratres cum exercitu suo sequentes compræhenderunt, & LXX. ex eis occidentes, multos Cristianos captos redemerunt. Alii Lethovvini XXX. qui evaserunt dum fugiendo venirent ad exercitum suum & nuntiarent, quæ facta fuerant eis à fratribus, adeò meticolosi facti sunt, & territi, quod nullus alium expectavit, sed cursando per diem & noctem multi homines & equi perierunt, plures etiam ex eis influvio Nave propter pressuram nimiam sunt submersi.

C A P . C C L X X I .

De Miribili factō.

Hoc tempore in Castro Mergenburg fuerunt frater Hermannus & frater Fridericus, qui tantam inter se charitatem habuerunt, quod unus sine alio vivere non voluit, aut mori. Tandem frater Hermannus leprā percussus fuit, & Fridericus non longè post cadens de equo exspiravit; cuius mors dum in crastino fratri Hermanno nunciaretur, ait: sic non erant pacta nostra, quod ipse prius & ego postea, sed simul deberemus ad æterna gaudia introduci; Et cum esset sine omni infirmitate, præter eam, quam prædixi, advocans Sacerdotem perceptis Ecclesiæ Sacramentis, eodem die in Domino feliciter obdormivit.

CAP.